

R. P. Édouard HUGON O. P.

DE EPIKEIA ET AÉQUITATE

Revue Angelicum 1928 pp. 359-367 (volume v, n. 3)

Ad q. cxx secundæ secundæ partis *Summae Theologicæ* divi Thomæ Aquinatis

I. STATUS QUÆSTIONIS¹. Aristoteles admittit quamdam epikeiam, quæ legem emendat ubi deficit *propter universale*, quatenus scilicet lex ipsa propter suam universalitatem in malum vergeret atque idcirco in particulari casu sit corrigenda, seu censenda non obligare. Et iterum concludit Philosophus illum esse *æquum*, seu habitum *æquitatis* servare, qui non nimis ius suum summum urget, sed potius aliquid de iure suo remittit, quod posset legis auxilio vindicari. Hinc duplex innuitur respectus: alter quoad legem, prout est emendanda, alter quoad ius strictum, prout est mitigandum.

Apud Romanos æquitas intelligebatur iustitia *naturalis*, quæ legem *civilem* vel supplebat vel corrigebat, vel qua prætores suis edictis legis rigorem temperabant. Sanctus Thomas et scholastici Aristotelem sequuntur et debitissimis commentariis ampliant.

Posteriores autem moralistæ de epikeia potius disserunt in tractatu de legibus, ut ostendant eius vim et necessitatem in interpretanda mente legislatoris.

Censendus quippe est legislator noluisse in lege comprehendere speciale casum, qui tamen ipsis verbis legis comprehenditur; ita nempe ut, si attendantur sola verba et sensus legis, comprehendatur reapse, si autem perpendatur mens seu intentio condentium legem, supponenda et asserenda sit pro tali casu exceptio.

Angelicus Doctor de epikeia seu æquitate disserit in tractatu de Iustitia, ubi docet illum habitum adiungi iustitiæ, non particulari, sed legali², velut æquam interpretationem legis, non quoad verba, sed quoad mentem legislatoris, qui supponitur velle ut, prætermisis verbis legis, sequamur id quod poscit iustitiæ ratio et communis utilitas: ac proinde epikeiam esse subiectivam iustitiæ partem³, quæ correspondet proprie iustitiæ legali, et quodam modo continetur sub ea et quodam modo excedit eam.

¹ Consuli possunt: ARISTOTELES, lib. V *Ethic.*, c. x; SAINT THOMAS, lect. xvi in præfatum librum Aristotelis, et in Summ. loc. cit. et I^a II^a, q. xcvi a. 6; Commentatores Angelici, in h. q. cxx, præsertim SYLVIUS; LESSIUS, lib. II, c. xlvi, d. 9; VERMEERSCH, *de Iustitia*, q. xi, qui rem optime versavit.

² II^a II^a, q. LXXX, ad 5.

³ *Ibid.* q. cxx, a. 2.

At iterum agnoscit Angelicus æquitatem naturalem, quæ reduci potest ad *amicitiam*; in qua nempe parum quidem habetur de ratione debiti, quæ tamen requiritur, ut conversatio humana debite et iucunde fiat⁴.

Duplicem itaque respectum attendit sanctus Doctor, et quatenus est *æqua interpretatio* mentis legislatoris, et quatenus est *æqua mitigatio* stricti iuris, et in utroque servatur quædam superior regula humanorum actuum, quæ est altior prudentia.

Leo XIII, in encyclica *Rerum novarum*, frequenter sumit æquitatem pro iustitia illa naturali, quæ iustum modum imponit, v.g. in salario opificum determinando, quæ etiam iubet curam de proletario publice geri, etc.

Recentiores moralistæ parum de hoc argumento versaverant, sed P. Vermeersch⁵ quæstionem late exponit et recte solvit, hac statuta conclusione: *Æquitas est virtus specialis, media inter iustitiam et charitatem iustitiæque pars potentialis, qua animus inclinatur ad humanum iuris usum.*

P. Prümmer, o. p., utrumque respectum considerat, prout nempe adiungitur iustitiæ legali, et prout pertinet ad quamdam iustitiam naturalem.

Hac ultima acceptione «æquitatem exercet v.g. herus, qui operariis aliquid ultra mercedem stipulatam largitur, si ipse ex laboribus operariorum lucrum extraordinarium percipit; pariter æquitatem exercet creditor, qui concedit aliquam solvendi dilationem debitori, qui tempore fixo solvere nequit sine magnis angustiis⁶».

Totam doctrinam hoc modo proponimus et vindicamus:

II. CONCLUSIO: *ÆQUITAS EST VERA VIRTUS: NEMPE VEL PARS IUSTITIÆ SUBJECTIVA, QUA IUSTITIA LEGALIS DIRIGITUR QUÆQUE IPSA DIRIGITUR PRUDENTIA SUPERIORE; VEL PARS POTENTIALIS, INTER IUSTITIAM ET CHARITATEM AUT AMICITIAM ALIQUALITER MEDIA, IUSTITIÆ TAMEN MAGIS VICINA, QUAÈ IUS STRICTUM MITIGAT, INCLINANDO AD MODERATUM IURIS USUM.*

Nostra propositione comprehenduntur omnia quæ præfatum habitum spectant, sive ut est epikeia, quæ legem emendat, sive ut est naturalis iustitia, quæ ius strictum temperat et attendit quod conveniens inter homines conversatio postulat.

Ostenditur prima pars, scilicet æquitatem, ut est epikeia, esse virtutem. Ille habitus vera virtus dicendus est qui, prætermisis verbis legis, in casibus particularibus, ubi sequi legem esset malum, interpretatur voluntatem legislatoris commune bonum intendentis, et procurat id quod poscit iustitiæ ratio et communis utilitas. Atqui habitus huiusmodi est epikeia. Ergo epikeia est virtus. — Explicatur minor. Quum actus humani, de quibus leges dantur, sint in singularibus contingentibus, quæ infinitis modis variari possunt, non fuit possibile aliquam regulam legis institui quæ in

⁴ II^a II^a, q. LXXX, corp. art. et ad 2 & 3.

⁵ Loc. cit., n. 481, sqq.

⁶ *Manuale Theologiae Moralis* t. II, p. 471.

nullo casu deficeret, ac proinde necesse est attendere ad intentionem legislatoris, qui supponitur noluisse obligare quando lex secundum litteram observata in malum vergeret.

Epikeia porro est ille habitus, qui legem æque interpretatur, non quoad verba, sed quoad legislatoris mentem.

III. QUÆ SIT ILLA INTERPRETATIO. Animadvertisatur interpretationem illam non esse *doctrinalem* qua quis iudicaret legem esse male positam, sed potius *casuisticam*, qua quis dicit verba legis non esse in *hoc casu* servanda; ac proinde non esse *criticam*, quæ iudicium fert de lege, sed potius *solutionem practicam* de aliquo negotio particulari quod occurrit (cf. a. 1. ad 2).

Nec est interpretatio *iuridica*, quæ *dubia* solvit; nam solvere dubia authentice pertinet ad competentem auctoritatem; sed est potius *executio* intentionis evidentis, eo quod in manifestis non sit opus interpretatione, sed executione (ad 3).

Ceterum epikeia non opponitur iustitiæ veræ, sed tantum *verbali*, quæ potius deficit a iusto; nec severitati legis, sed potius illam servat, nam æqua et laudabilis severitas est sequi legem in quibus oportet, dum sequi verba legis in quibus non oportet vitiosum est (ad 1).

IV. OSTENDITUR EPIKEIAM ESSE PARTEM SUBIECTIVAM IUSTITIÆ COMMUNITER DICTÆ. Recolendum est triplicem esse posse partem alicuius virtutis. Partes quidem *integrales* dicuntur quæ concurrunt ad perfectum illius actum; sicque in iustitia partes integrales sunt bonum facere et a malo declinare⁷; partes vero *subiectivæ*, seu *essentiales*, sunt diversæ species illius virtutis, de quibus totum prædicatur essentialiter, eo fere modo quo genus prædicatur essentialiter de singulis speciebus; partes demum *potentiales*, seu *adnexæ*, reputantur quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis⁸, seu deficientes a plena illius virtutis ratione.

Æquitas porro ut epikeia est pars *subiectiva* iustitiæ, et ut iustitia naturalis est pars *potentialis*.

Pars quippe subiectiva iustitiæ est de qua prædicatur essentialiter iustitia communiter dicta. Atqui iustitia prædicatur essentialiter de epikeia; nam essentiam virtutis servat sane ille habitus qui interpretando mentem legislatoris, procurat bonum intentum, dum sequi verba esset vitiosum; imo per prius prædicatur iustitia de epikeia quam de iustitia legali, siquidem ista ut finem attingat, debet epikeia dirigi. Ergo epikeia est pars subiectiva iustitiæ.

⁷ II^a II^a, q. LXXIX, a. 1.

⁸ II^a II^a, q. XLVIII, art. unic.

V. HINC APPARET HABITUDO EPIKEIÆ CUM IUSTITIA LEGALI. Si legalis dicatur quæ legi obtemperat sive quantum ad verba sive quantum ad intentionem, quæ est potior, sic epikeia est pars potior legalis iustitiæ; si vero legalis dicatur potius quæ verba legis sequitur, iam epikeia dividitur contra legalem, *ut melior legali* prout constat ex Philosopho⁹, et est pars iustitiæ communiter dictæ (ad 1 & 2).

Hinc etiam constat iustitiam legalem dirigi epikeia, ut finem a legislatore intentum assequatur, et idcirco epikeiam, quæ ita dirigit, esse quamdam superiorem regulam actuum humanorum; et ipsam dirigi altiori prudentia, ut mentem legislatoris recte et vere interpretetur.

Sicque *legalis et epikeia respiciunt idem bonum commune*: legalis quidem bonum commune secundum se, epikeia vero bonum commune quærendum præter communes regulas et præter verba legis, in specialibus adjunctis, in quibus sequi verba legis esset vitiosum et in malum vergeret.

VI. OSTENDITUR ÆQUITATEM UT EST IUSTITIA NATURALIS ESSE VIRTUTEM AC PARTEM POTENTIALEM IUSTITIÆ. Virtus est habitus bonus qui hominem inclinat ad laudabilem actum. At vero æquitas sumpta pro iustitia naturali inclinat ad actum laudabilem, qui est ius rigorosum mitigare, efficitque ut sponte aliquid de iure nostro remittamus, et iure nostro utamur modo tantum qui sit homine dignus; et, quia id præstamus ultro, nulla exigente aut imperante lege, nobilitas vera in hoc deponitur. Ergo liquet esse virtutem.

Quæ virtus est pars iustitiæ, non subiectiva, seu essentialis, sed potentialis, seu annexa.

Pars quippe essentialis attendit rationem debiti in ordine ad alterum et est proprie in debitore, non in creditore; ita ut actum iustitiæ dicatur exercere debitor, qui solvit, non autem creditor, qui recipit quod erat sibi debitum; æquitas autem respicit potius mitigationem debiti et est in creditore, qui remittit aliquid de suo iure, potius quam in debitore; adeo nempe ut æquitatem dicatur exercere creditor, qui remittit, non autem debitor, qui beneficium illud recipit. Ergo æquitas non est nisi pars iustitiæ annexa, quæ deficit a perfecta et stricta ratione iustitiæ. Qua propter, si quis virtutem æquitatis lædit, non incurrit debitum aut obligationem restituendi.

VII. DEMUM APPARET EIUS HABITUDO CUM CHARITATE ET AMICITIA ET CUM IUSTITIA. Affinitatem quidem habet cum charitate, quatenus mitigat severitatem iuris et aliquid de illo iure stricto remittit; sicut proprium charitatis est rigorem debiti temperare, non quærendo quæ sua sunt. Pariter cum affabilitate similitudinem præ se fert, in modo benigno se habendi ad proximum; imo et cum amicitia eo quod illam præstet concordiam, benevolentiam et beneficentiam, quæ humanam conversationem ita convenientem et amoënam efficiunt, ut æquus potius cum amicis quam cum debtoribus vivere censeatur.

⁹ V *Ethic.*, cap. x.

At simpliciter tamen tum a charitate tum ab amicitia differt. Charitas quippe est virtus supernaturalis, quæ proximum sicut seipsum diligit et idcirco illum quasi *unum* secum ipso considerat: æquitas autem potest esse virtus naturalis, iis etiam acquirenda qui nondum sunt in gratia constituti, et respicit proximum potius ut *alterum*, cui tribuere aliquid omnino congruit. In amicitia quoque est quædam unitas, et id quod movet est affectus ad personam; in æquitate autem servatur semper distinctio inter creditorem et debitorem, et id quod dirigit non est specialis affectus ad hunc hominem ut amicum, sed quia id requirit naturalis quædam convenientia erga omnes.

Hinc concluditur æquitatem magis esse iustitiæ propinquam. Nam iustitiæ proprium adscribitur ut sit *ad alterum*¹⁰ et *attendant rationem debiti propter ius*¹¹. Æquitas porro hæc duo semper tuetur: hominem enim considerat, non ut sibi unum per charitatem aut amicitiam, sed ut *simpliciter alterum*, cui remittit aliquid de stricto iure; et etiam quamdam *rationem debiti propter ius* attendit, quatenus videt in alio aliquem titulum ex convenientia exigentem ut sibi hoc præstetur.

Quo melius autem conclusio vindicetur nonnulla adduntur de applicationibus æquitatis sive ut est iustitia naturalis, sive ut est epikeia.

VIII. EXEMPLA USITATISSIMA ÆQUITATIS UT EST IUSTITIA NATURALIS.

«Æqua dicitur quædam mora concessa debitori, quando creditori non nocet, debitorem autem magna expedit angustia. Quid aliud hic habetur nisi imperfectum quoddam ius necessitatis? Æqua dicitur quædam communio lucri extraordinarii inter magistrum et operarium. Cur, nisi quia in operario quasi-ius est ad fructus ex labore colligendos?¹² » — « Cum autem æquitas parum habeat de ratione debiti, eius læsio per se non est nisi peccatum veniale, et adagium valde notum: « “Summum ius summa iniuria”, diminute tantum intelligi valet de læsione huius æquitatis. Fieri enim nequit ut prætermissio debiti imperfecti summa evadat iniuria¹³. Hoc autem adagium verissimum est, si intelligitur de summo iure positivo, quod adversatur iustitiæ naturali, vel etiam de spuria legis interpretatione quæ reiicit omnem epikeiam¹⁴. »

IX. IN QUIBUSNAM CASIBUS LOCUM HABEAT ÆQUITAS UT EST EPIKEIA. Quoad leges humanas, valet quando servare verba legis esset aut damnosum aut nimis onerosum; quia tunc recte supponitur legislatorem bonum ac prudentem noluisse obligare. Non tamen valet quando leges actus irritant ipso facto; nam postulat bonum commune ut uniformitas in actibus servetur et certitudo universalis statuatur, actus huiusmodi esse invalidos omnes, nisi authentica dispensatio fuerit obtenta.

¹⁰ « Ex sua ratione iustitia habet quod sit ad alterum. » Saint Thomas, II^a II^e, q. LVIII, a. 2.

¹¹ *Ibid.*, q. LVII, a. 1.

¹² VERMEERSCH, *op. cit.*, p. 635.

¹³ *Ibid.*, p. 641.

¹⁴ P. Prümmer, *op. cit.*, p. 471.

Quoad legem naturalem, potest etiam esse locus epikeiæ, quando adiuncta et circumstantiæ sunt huiusmodi, ut actio omni malitia denudetur. Provisor enim universalis, qui est legis naturalis auctor, licet omnes casus et actus contingentes præviderit, non debuit tamen omnes exprimere, nec interpretationes pro singulis tradere, sed reliquit homini rationali ut in talibus adiunctis, interpretationem æquam iuxta regulas superioris prudentiæ ipse sibi præstaret.

Quæ interpretatio ut recte fiat, recolendum est legem naturalem triplicis generis præcepta complecti¹⁵.

Quædam sunt iudicia per se nota etiam quoad nos, quæ absque discursu immediate innotescunt: faciendum bonum, vitandum malum, non faciendum aliis quod nobis fieri nolumus. Hæc sunt universalissima nec in illis concipitur exceptio aut epikeia.

Quædam alia sunt, quæ, quamquam non innotescunt immediate, directe tamen et immediate deducuntur, et idcirco, licet non absolute prima et universalissima, sunt tamen *in aliquo genere prima*; diligatur Deus, deinde proximus; honora patrem et matrem; non inferas proximo tuo nocumentum nec audeas mentiri. In his quoque est vis quæ non sinat locum epikeiæ, eo quod nulla concipi queat circumstantia quæ materiam mutet.

Denum alia sunt quæ non ex primariis sed ex secundariis dumtaxat eruuntur, ut ista: depositum est reddendum petenti, bona aliena non sunt auferenda. In istis potest haberi exceptio et epikeia, eo quod adiuncta et circumstantiæ materiam mutent: sicut furioso vel hosti reddere arma in deposito custodita non est amplius præceptum iuris naturalis sed mutata est materia, propter damnum quod ex redditione proveniret; vel quando in extrema necessitate sumitur de bonis alienis quantum necesse sit ad liberandum se ex tali necessitate, non remanet amplius materia furti, quia tunc non rapitur res alterius, sed bona fiunt iterum communia.

Hæc autem recta interpretatio requirit in subiecto altiore quamdam prudentiam, quæ omnia contingentia quasi ex alto perpendat et iudicet, et hinc iterum eluet quanti momenti sit habere de his accuratam notitiam¹⁶.

Concludere itaque liceat cum Doctore Angelico (hic a. 2): « *Unde epikeia est quasi superior regula humanorum, actuum* ». Sicque tandem dicit ad Deum, supremam moralitatis normam et ultimum omnium finem.

Romæ, in Collegio Angelico.

P. Eduardus HUGON O. P.

¹⁵ Cf. saint Thomas, II^a II^e, q. xciv, aa. 4 & 5, et commentatores in h. b.

¹⁶ « Merito Lessius prudentiam quæ epikeia requiritur multis deesse observat, sive ob scrupulos quibus fit ut ipsis verbis legis nimis percellantur, sive ob iudicii tenuitatem ». Vermeersch, *op. cit.*, p. 642.